

ve jus omne amittat. Vult denique Sanctitas Sua hujusmodi facultatem per Congregationem reformationis Apostolicam hoc Decreto Secretarij manu subscripto concedi, non obstante Decreto, ut supra promulgato. Dat. Romae, die, &c. Prescribitur verò numerus Sacerdotum. Clericorum. Conventorum autem.

*De Visitatione, & Reformatione  
Apostolicae Secra.*

*Decretum super forma recipiendi Novitios Regularium  
ad habitum, & professionem.*

Sanctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Clemens Divina providentia Papa VIII. qualitas pro regulari disciplina restitutione, singulis regularium Ordinibus (quibusdam exceptis) prohibuit, ne ad regularem habitum novitios in posterum reciperent, receptive ad professionem admitterent, quousque in aliquibus eorum Ordinibus monasterijs, seu Conventibus (in quibus novitatus pro recipiendis, & educandis novitijs designarentur, & approbarentur) ad eum, quam professi sunt, regulam prescriptam, vitam, moresque restituerent, & componerent; certior deinde factus quosdam omnium ferè Ordinum Conventus, seu monasteria ad pristinam illam regularem vivendi formam, & disciplinam, quam diutius desideraverat, fuisse redacta in eisdem monasterijs, & Conventibus, ut Novitatus erigi, novitijsque recipi possent (sub certis tamen legibus, ac ea presertim, ut licentia à Congregatione reformationis Apostolicae prius obtenta esset) concessit, & ad illa designavit, & approbavit. Nunc volens ut ea, quae pro novitiorum receptione, & institutione, de mandato Sanctitatis suae prescripta fuerunt, in posterum accuratius, & exactius observentur, ultra formam traditam in Constitutionibus sel. rec. Sixti Papae V. & etiam Sanctitatis suae super receptione novitiorum, decretis ac praesentis Decreti virtute mandavit, ne in Conventibus, seu monasterijs ad novitios recipiendos, de Sanctitatis suae, seu dictae Congregationis reformationis licentia haecenus designatis, & approbatis, seu in posterum designandis & approbandis, novitij ad habitum recipi ullatenus possint, vel admitti, nisi prius ab ipsa Congregatione, vel à proprijs locorum Ordinarijs, aut ab illis, in quorum dicecesi novitatus exsistunt, in quibus novitij recipiendi fuerint, expressè, & nominatim novitij ipsi recipiendi approbati fuerint, & ut recipi, & admitti possint, licentiam in scriptis (gratis tamen in omnibus, etiam quoad scripturam concedendam) obtinuerint. Monet autem Sanctitas Sua eosdem Ordinarios omnem curam, & diligentiam adhibere, ut circa etatem, conditionem, educationem, scientiam, vitam, & mores, ceterasque qualitates in ipsis novitijs requisitas, observentur institutiones pro illis recipiendis ab eadem Congregatione reformationis factae, & publicatae, neque aliter, nec alio modo aliquem ad habitum recipi permittant: Ordinariorum ipsorum conscientiam onerando, si quempiam approbaverint, vel admitti permiserint, qui non sit idoneus, & juxta constitutiones, & institutiones praedictas, approbandus, & admittendus. Firmis nihilominus remanentibus

penis omnibus contra Superiores quorumcumque Ordinum, qui, in admittendis ad habitum, & professionem novitios formam constitutionum, & institutionum praedictarum non servaverint, aut novitium aliquem quantumvis idoneum, & approbatum, in quovis alio Conventu & loco, seu monasterio, praeterquam in haecenus à Sua Sanctitate, vel à dicta Congregatione designatis, & approbandis, vel ultra numerum in eorum singulis prescriptum, seu prescribendum receperint, vel admiserint, seu alias praemissis quovis modo contrafecerint, irritum ex nunc, & inane decernens quicquid fecerit, vel aliam, quavis auctoritate à quovis gestum, vel attentatum fuerit. Non obstantibus quibuscunque, &c. Dat. Romae apud S. Petrum, die 19. Maji 1602. Pontificatus ejusdem S. D. N. Anno undecimo.

*Institutiones super receptione, & educatione Novitiorum Regularium in monasterijs, & conventibus designatis, vel designandis Clementis eiusdem in usu editae.*

Utm ad regularem disciplinam in singulis Regularium monasterijs propagandam, Novitiorum institutio maxime utilis sit, ac necessaria, & nihil ad gravem illam, & a laudatissimam praeceptorum Patrum vivendi rationem relaxandam majorem vim habuisse competentem sit, quam, vel nimiam in recipiendis novitijs facilitatem supra numerum, quem capere, atque alere monasteria ipsa possent, vel negligentiam in probando, & examinando eorum spiritu, an verè esset ex Deo, atque ex praecipuo desiderio illi interveniendi, vel denique in curiam in eis educandis, atque institutendis. Idcirco, ut hujusmodi incommodo deinceps occurratur, praecipitur omnibus, & singulis, ad quos spectat, ut in recipiendis novitijs, & in eorum institutione, atque educatione, necnon in magistri, & aliorum ministrorum electione, praeter alia, quae in sacris Canonibus, ac Decretis, praesertim Concilii Tridentini, Pontificijs, & consuecutionibus Ordinibus, aut instituti constitutionibus continentur, tam in alijs designatis, quam nunc, & in posterum ad hoc designandis monasterijs, & conventibus, haec quae sequuntur, inviolatè observati, & exequi perpetuo curent.

Primum, quod attinet ad novitiorum recipiendorum formam, ultra diligentem perquisitionem quae habenda erit de uniuscujusque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita antea facta, ac praecipue eorum, qui sextumdecimum aetatis suae annum excedent, an criminosi, an aere alieno gravati, vel reddendae alicujus administrationis rationi obnoxij sint, juxta formam constitutionis sel. rec. Sixti V. & moderationem subsecuturam: illud etiam Superiores ad quos spectabit, sedulo perquirant, ut quibus in monasterijs, & conventibus, ex Apostolica facultate novitatus fuerint instituti, in iis ad Religionem nullus in posterum admittatur, qui & ex honestis parentibus natus non sit, & conditiones sacris Canonibus, Summorumque Pontificum constitutionibus praescriptas non habeat, juxta Decretum super forma recipiendi novitios, die 19. Maji 1602. editum.

Quisque recipiendus in aliquo Ordine Regulari, etiam Mendicanti, in ea sit aetate constitu-

tus, quam ejus Ordinis, in quo recipietur regularia instituta, & ordinationes requirunt; eam verò litterarum scientiam calleat, aut illius addiscenda spem indubiam praeserferat, ut minores, & suis temporibus, majores Ordines, juxta Decreta Sacri Concilii Tridentini suscipere valeat. Sed si quis aetate vigesimum quintum excedens ad habitum regularem admitti postulerit, & talis eruditionis experia inventus fuerit, in Conventu tantum, quibus litterarum scientia non est necessaria, numerum referatur: ipsi autem Conventus non recipiant ante vigesimum aetatis suae annum & nisi saltem praecipua Doctrinae Christianae capita noverint.

Demum Superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitae genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitae, & ut Deo liberius famulari possint, an potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi ducantur, & an eorum parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes delinquantur.

Provideant quoque, ut omnes, etiam conversi recipiendi priusquam ad habitum regularem admittantur, ab ijs quibus munus hoc incumbit, de regulari, quam professi sunt, tribus votis essentialibus, scilicet regulari, & alijs cujusque Ordinis peculiaribus institutis, & constitutionibus diligenter instruantur. Et quia quarundam Religionum moris est, nedum Conversos ad professionem admittendos verum & Oblatos, ut vocant, recipere, circa ipsorum Oblatorum receptionem suaque quae religio suas peculiarias Constitutiones, & specialiaque instituta observare teneatur.

Statim atque Novitij ad habitum recepti, & in locum Novitatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem totius antea vitae conscientiam discant, & expurgent.

Quod verò ad loci qualitatem uniuscujusque Novitatus spectat, locus hujusmodi propria clausura ab ea parte Conventus, & Monasterij, in qua degunt Professij, segregatus sit, atque distinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero Novitij, vel dormitorium ita capax, ut pro singulis singuli lectuli commode stent possint, in quo etiam cellula, vel certus, ac determinatus locus pro Magistro, cujusque locio reperiarur.

In eo etiam, praeter alias communes commoditates, aptus locus adit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionesque Magistri audiendas, & in quem hyemis tempore ad caletandum se igne communi recipiant.

Oраторium insuper, seu Cappella, si commode fieri poterit, ad Novitios in spiritualibus, praesertim in ceremonijs, Ecclesiasticisque functionibus exercendos.

Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem bene contentius, atque munitus adit, si minus, horum ceteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipsi verò Novitij sibi commorantibus, curabit Magister cum loci Superioris auctoritate (si opus fuerit) ne in eundem quicquam alius ingrediatur.

Ad hujusmodi locum Novitatus nemini ejusdem, vel alterius Ordinis regulari etiam Con-

ventus, & Monasterij Officiali, ullo unquam tempore sub quovis praetextu aditus pateat, praeterquam Magistro, cujusque locio, ac etiam Monasterij, aut Conventus Superiori, si quando unquam ingrediendum sibi necessario exillimaverit, quo tamen casu aliquem semper ex senioribus conventus, vel Monasterij Patribus socium assumat.

Hujus loci clausurae clavis apud Magistrum semper aservetur, illique soli liceat ex gravi tantum causa ingressum illuc alicui permittere: si quis autem Novitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro praesente, & non aliter alloquatur.

Novitiorum Magistro socius, si per Novitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, vita, & moribus (quoad fieri poterit) consimilis deputetur, qui in his, quae ad Novitatus regimen spectant, dicto Magistro immediate subiectus exsistat, eleganturque tam Magister, quam socius per Provinciale Capitulum, per triennium ad minus onus hujusmodi subdituri. Quod si aliquo casu extra tempus capitulare nova loca Novitatus concedi contingat, tunc electionem Magistri Novitiorum, & socij hujusmodi in his novis locis per Generalem, vel Provincialem, seu Ministerium, aut eorum Visitatores, seu Vicarios, de Diffinitorum tamen, vel graviorum aliorum Patrum consensu fieri permittatur: idemque servetur, si intra triennium, alterum, vel utrumque urgentialiqua de causa ex illis locis amoveri, vel mori contigerit, in cujus, vel quorum locum alij consimiles subrogari debeant.

Tam Novitiorum Magister, quam socius ab ijs omnibus officijs, oneribusque vacationem habeant, quae Novitiorum curam, & regimen impedire valeant. Ipse Magister sacerdotali ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigessimam aetatis suae anno constitutus, & per decennium a professione emissis in religione perseveriter: Socius verò trigessimum annum excedat, sintque ambo doctrina, & quantum per Superiorum diligentiam, & vires fieri poterit, vita etiam antea ex exemplo praestantes, orationis praeterea, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateque repleti, non sine affabilitate graves, zelum Dei cum mansuetudine praeserentes: ab omni cordis, ac animi perturbatione, ira praesertim, & indignationis, quae in se, & erga alios charitatem impedire consueverunt, quam longissime alieni & tales demum, qui in omnibus se ipsorum operum exemplum praebent, ut ij, qui eorum curae subdunt, illos non tam metuant, quam reverentur, nec illis unquam detrahere quicquam possint.

Habere etiam Magister plenam, & absolutam potestatem circa Novitiorum institutionem, ac Novitatus regimen, ita ut in illis nemini (Visitatoribus, ac Superioribus majoribus, vel etiam localibus exceptis) quovis colore se ingerere liceat.

Curam adhibeat diligentem, ut Novitij omnes in regulari disciplina sedulo exercentur, agnoscantque praecipue divinae, qua digni facti sunt, vocationis praestantiam, & excellentiam, quae vera sit atque perfecta votorum solemnium, & quam necessaria cujusque Ordinis Constitutionum observantia, modum in oratione, tum vocali, tum mentali fructuose persolvendi, illicitas passionis, & vitia [ ad quae natura per peccatum labefacta

omni tempore prona est, atque proclivis) per sensum custodiam, & mortificationem cohibendi, austeritatem, jejunia, cilicia, disciplinas, conscientie puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, confessionis præsertim, quæ bis saltem singulis mensibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum interiorum, cordis, & tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumque silentium.

Quilibet Novitius bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat, unusquisque secundum propriam capacitatem, & ordinem sibi à Magistro præscriptum, ac pluries in die propriam conscientiam unusquisque examinare contendant. Ipsi autem Magistro soli Novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Licet tamen Superiori, etiam locali, si ita expedire judicaverit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel, aut bis in anno eorumdem Novitiorum confessiones audire.

Quotidie Missæ sacrificio interfint, & statutis horis in Choro, nocturnis, diurnisque divinis Officijs assistant.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, quæ in solitario loco, & commodo extra Novitium semel in hebdomada, vel in alternis saltem hebdomadibus longior statuat, fiatque semper Magistro præsentem, & in loco, qui multum invigilent, ne duo ab aliis commorentur disjuncti, atque eo tempore, cujusque, in quam natura feratur, propensionem scrutentur.

Non liceat eis, durante Novitiatu, & probationis tempore, unâ cum Professis, nisi in Choro, in ecclesia tempore officiorum, in processionibus, aut in cœnaculo causa refectionis commorari, nec permittatur eis Professos domo exeuntes comitari.

Pro communibus, & propriis cujusque necessitatibus, quæ accedere possunt, unus ex Novitiis ipsis, ætate, moribusque provecit deputetur, qui absente socio, Magistro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam januæ custodia, & rerum levioris momenti provisio intra Novitium committi poterit.

Cum autem, licet Clericorum bene institutorum cura debeat esse præcipua, Conversorum tamen religiosa instructio non sit prætermittenda, quin potius æquanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum est, illorum etiam, cum regulam profiteantur eandem, perfectam educationem, tum religioni decorem, & ornamentum, tum aliis Christi fidelibus ædificationem, exemplum, atque utilitatem afferre. Conversis ipsis à Clericorum Novitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commode fieri poterit) assignari præcipitur. Illi tamen hac separatione non obstantem Magistro Novitiorum, seu Superioribus Monasteriorum, & Conventuum juxta cujusque Ordinis Statuta, & Constitutiones subditi esse, & obedientiam præstare debeant, à quo non tantum circa corporalia obsequia probantur, & exercendi, verum etiam, pro eorum capacitate, & commo ditate, de spiritualibus, præsertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi

erunt, quod ut commodius fiat, ad Capita, & spirituales Conciones, quæ per Magistros Novitijs fieri solent, accessit debeant, & in Ecclesijs statutis horis convenient, nisi tunc in suis officijs actualiter occupati fuerint.

Tempore verò probationis elapso, ij tantum, qui non solum religiosæ perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti novo, ac diligenti examine reperti fuerint ( dummodo ætatis suæ ætatem, quo ad Clericos decimum sextum, quo verò ad Conversos, vigesimum primum exceperint) ad professionem admittantur. Sed qui ad Conversorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possunt.

Superior cujuslibet Conventus, in quo Novitiatu fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo unusquisque Novitij professio registratur, illamque Novitius professus propria manu, & duo testes, qui præfentes fuerint, subscribant.

Conversus verò literarum ignarus, professus, in eorumdem testium, qui se subscripserint, præsentia propria manu signum Crucis apponat, aserveturque liber, & custodiatur in Archivio, ubi scriptura ad Monasterium, seu Conventum pertinentem reponi consueverunt.

Quia verò in quibusdam Ordinibus filiationis usus est receptus, declaratur, quod licet decretum sit, ut Novitijs educandis certa Monasteria, aut Conventus designata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen sit Superioribus Monasteriorum, & Conventuum hujusmodi Ordinum, in quibus filiationis usus receptus est, eos quos prænaratis qualitatibus suffultos repererint, in suorum locorum filios juxta cujusque Ordinis constitutiones adscribere, sicque adscriptos, cum juxta præfentes institutiones, & alias servatis servandis ad Ordinem recepti fuerint, ad loca Novitiatuum cum testimonialibus literis transmittere, ubi tanquam ditorum Conventuum, seu Monasteriorum filij, eorumdem nomine, & instantia recipi, ac in Novitiatu probari, & deinde antequam ad eadem Monasteria, seu Conventus filiationis hujusmodi remittantur, in professorio ad perfectionem, ut permillum est, exerceri debeant.

Porro, ne loca unius Monasterij, seu Conventus ab alio præoccupentur, Capituli generalis, aut provincialis partes erunt, numerum præscribere pro omnibus, & eam similiter rationem circa alimentorum contributionem, si opus fuerit, inire, ac singulis Conventibus, & Monasterijs præscribere, quæ magis expedire videbitur.

Ut autem Novitii jara in Professorum numerum, sicut præmittitur, recepti melius in bono spiritu regularisque disciplinæ observantia stantur, & confirmantur, mandatur, ut statim post professionem emissam, si in Conventibus, aut Monasterijs pro Novitijs assignatis locus adferat secundi Novitiatu, sive Professorij ab ea, quæ Novitiorum est, atque antiquorum Professorum habitatione distinctus, & segregatus, ibi collocentur, si Monasterium, aut Conventus colere queat, sin minus, in alium commodiorem Conventum, aut Monasterium transferantur, in quo is locus cum requisitis ad Novitiatum supernaratis reperitur, vel accommodetur, aut de novo construat.

Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ suarum

suarum constitutionum, seu institutorum vigore majoris temporis cursu novos professos intra novitium detinere consueverunt, quibus in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, ut, prædictis earum constitutionibus non obstantibus, id ipsum facere possint, si id rationi, ac religioni magis expedire judicaverint, quibus in locis degant sub regulis, & modo vivendi adhuc arctiori, quàm servent antiquiores professi, ita quòd in negotijs monasteriorum, aut conventuum non se intrinse, nec communibus tractatibus interesse, neque alicujus exterioris obedientie officium exercere debeant, ibique permanent, quousque ad ætatem sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem devenierint, vel saltem per triennium post professionem, quo etiam tempore poterint, quinimo & debeant litterarum studijs operam navare sub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus novitiorum Magistrum præditum esse oportere dictum est.

Declaratur tamen, quòd propter præmissa non censetur concessa licentia recipiendi novitii, nisi in locis pro novitiatu designatis, aut imposteriorum designandis, & pro numero dumtaxat in eorum singulis præscripto, vel præscribendo.

Denique si illi qui inter Religiosos gradu, & ordine Superiores sunt, & alij, ad quos spectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, seu quovis modo contraxerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, privationem, gravioresque pro modo admittæ culpæ pœnas, se subituros certo sciant. Datum Romæ apud S. Petrum die 19. Martij 1603.

### Ant. Seneca, Refor. Apost. Secr.

Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Indictione septima, Pontificatus autem Sanctissimi Domini N. D. Urbani divini providentia Pape VIII. anno eius secundo, die vero vigesima, extra mensis Octobris, supra dicta Decreta tam Sacra Congregationis Concilij, quam san. mem. Clem. VIII. affixa, & publicata fuerunt ad V. alia Basilicarum Sancti Joanni Lateranen. & Principi Apostolorum; necnon in acie Campi Flore, ut motu est, per nos Camillum Fundatum, & Julium Martiellium Cursores Sanctissimi.

Brandimartes Latinus Pro magistro DD. Curf.

## DE CONVERSIONE Conjugatorum.

### Cap. Præterea.

#### S V M M A R I V M.

**P**rofectus de uxoris licentia potest, & debet à monasterio revocari, si uxor sit suspecta, & continentiam non promiserit.

**S**ecus si promiserit continentiam, sive sit suspecta, sive non.

**Uxor juvenis, quæ dedit viro licentiam proficendi, & castitatem vovit, an cogenda sit non solum ingredi monasterium, sed etiam professionem emittere.**

**Proficere an, & quando aliquis præcise cogi possit.**

**Uxor quæ dedit viro licentiam ingrediendi religionem, sed castitatem non vovit, an possit directè viro repetere, & ille propria autoritate exire, & num. seqq.**

**Et quid si sit iuris conscientia, num. 7. vers. Prædictam conclusionem.**

**Index in materia peccati ex officio providere potest ubi clauditur os agentis.**

**Maritus, cuius professio non tenet, peccat si se ab uxore alienet, aut ei causam adulterandi præbeat.**

**Votum religionis emissum à coniuge de licentia alterius non solennizatur, nisi votum remanentia in seculo sit perpetuum; sicut si temporale durante vita ingressi.**

**Uxor senex & non suspecta ut possit in seculo remanere cum simplici voto castitatis, & vir ad religionem transire, an requiratur licentia Episcopi, & num. seq. usque ad num. 17.**

**Disimulatio aliquando accipitur pro approbatione.**

**Maritimum separati non potest fieri sine auctoritate ecclesiæ, & num. 13. & seq.**

**Professio facta à coniuge de licentia alterius castitatem vovente, tenet, etiam sine Episcopi licentia.**

**Coniux transire non debet ad religionem altero in seculo remanente cum voto castitatis sine licentia Episcopi.**

**Uxor quando dicitur senex, & sterili ad hoc ut possit in seculo remanere cum voto castitatis, relinquatur arbitrio Episcopi, & num. seq.**

**Intellectus cap. Si vir & uxor, 27. q. 2.**

**Actus contra iurum prohibitionem valet, si idem vel alia iura dicant factum valere.**

**Episcopus non potest concedere licentiam uxori, cuius vir ad religionem transivit ingrediendi monasterium Monialium, & ibi degendi cum simplici voto castitatis, & num. seq. usque in finem.**

**Episcopus ita demum potest concedere licentiam ingrediendi septa monasterij Monialium, si causa sit necessaria, & respiciat monasterium ipsum non autem personam ingrediendam.**

**Monasteria Monialium ingredientes de Episcopi licentia ex causis litium matrimonialium, adulteriorum, & alij huiusmodi incidunt in excommunicationem.**

**Licentia ingrediendi monasteria Monialium pro mulieribus coniugatis an & quomodo à Sede Apostolica concedatur.**

**P**RÆTEREA. Si vir de uxoris licentia proficetur, & ipsa uxor suspecta nec continentiam vovet, nec religionem ingreditur, Episcopus virum uxori restituit. Hoc dicit secundum Jo. Andr. cum quo consentiunt Butr. Cardinal. Anchar. & Abb. Sed secundum Jo. de Anan, hoc intendit juxta verum intellectum, si vir sine licentia Diocesani proficetur, & ipsa uxor sit juvenis, & suspecta, non continentiam vovet, nec religionem ingreditur, Episcopus virum uxori restituet. Et sic Jo. de Anan, videtur fundare restitutionem viri in omissione licentiæ Diocesani: tamen non est recedendum ab intellectu Jo. Andr. & communis, quia Episcopi licentia non requiritur de necessitate, & ad validandum ingressum, sed de honestate tantum, ut ingressus sit licitus, ut dicam infra in ult. notab. Communis divisio. Secunda ibi, sicimus.

**Nota primò ex illis verbis, nec perpetuam castitatem vovente, quòd si uxor de cuius licentia maritus**

ritus professionem emittit continentiam vovit, vir ejus non potest de Monasterio revocari. Quod habet locum five uxor sit senex, & non suspecta de incontinentia; five sit juvenis, & suspecta utroque enim casu tenet irrevocabiliter ingressus viri, sed in hoc est differentia secundum Hostien. hic in fin. quod si uxor senex sit, & non suspecta, potest in saeculo remanere, ut est textus in c. *Cum sis*, & ibi dicitur infra eod. Sed si sit juvenis, & sic suspecta, cogenda est monasterium ingredi. In hoc tamen discrepat Innoc. & Hostien. quod Innoc. censet hoc fecundo casu uxorem esse cogendam intrare monasterium, non quidem ut fiat Monacha, & monialiter vivat, sed ut custodiatur a vagatione, & refranetur ne luxurians possit. Ad hoc cap. *Vxoratus*, in fin. infra eod. & idem notat ipsemet Innoc. infra in cap. *Significavit*, sed Hostien. tenet uxorem suspectam postquam licentiam dedit, & continentiam vovit, cogendam esse ad solemnem professionem; idque probat duplici ratione. Prima est, quia iura non admittunt hujusmodi commixtionem non professorum cum professis, cap. *Clerici*, & cap. *Vidua*, supra tit. prox. Secunda est, quia uxor, quae licentiam dedit, non peccavit, ut debeat poni in ergastulo, sicut dicitur in cap. *De lapsis*, 16. q. 6. in cap. *Si quis raperit*, 27. q. 1. & in c. *Gaudemus*, infra eod.

4. Nec obstat si dicatur. Sicut nemo praecise cogitur ordinari, cap. *Quatuor*, de etat. & qual. ita nec praecise cogitur profiteri, arg. cap. *Integritas*, 32. q. 1. Quia respondet Hostien. hoc procedere in eo, cui non est quod imputetur; alioquin cogitur non solum monasterium ingredi, sed & professionem emittere, cap. *Fraternitatis*, 32. dist. & d. cap. *Gaudemus*. Praeterea uxor ab initio non cogitur professionem emittere, nisi causative, videlicet ut viri ingressus sit validus. In ipsa ergo est ab initio utrum ad hoc velit se adstringere. Censetur autem se tacite adstringere ex quo marito licentiam dedit, & vovit; & propter hoc recepta est illius professio. Unde nisi id servet, ad quod tacite se obligavit, peccat; & ideo est cogenda, arg. l. *Sicut*, c. de ait. & obligat. nec ejus professio dicitur absolute involuntaria, cum habeat fundamentum in radice taciti consensus praesistentis. Cum opinione Hostien. quae ante eum fuit Tancredi, transeunt hic Butr. n. 2. Anchar. n. 3. & in c. *Significavit*, infra eod. Jo. Andr. num. 4. Butr. eod. num. Caridia. num. 2. & alii communiter, & pro ea sunt textus aperti non cavillando in d. cap. *Cum sis*, 3. & in d. cap. *Significavit*, 3. in. eamque pluribus rationibus confirmat glof. in eodem c. *Significavit*. Et quamvis glof. ipsa postmodum videatur inclinare, ut talis juvenis suspecta, quae vovit, non sit cogenda ad religionem transire, sed vir debeat illi restitui officio iudicis: hoc tamen est verum quando mulier dedit licentiam viro, sed non vovit continentiam, cum enim vovit, est vera prima pars illius glof. quod sit praecise cogenda, ut hic declarat Petr. de Anchar. n. 3. Sed Jo. Calder. conciliat opiniones federe distinctionis, videlicet aut uxor, quae dedit viro licentiam profitendi, & simpliciter vovit continentiam, etat juris conscientia, & compellitur profiteri, c. *Qui uxorem*, 33. q. 7. Aut etat juris conscientia: tunc compellitur esse in monasterio, sed non profiteri, arg. l. *Cum de indebito*, ff. de probat. Et haec Calder. distinctio placet hic Abb. Panorm. num. 8. vers. 10. Calder. dicit: & no-

vissimè Basilio Pontio de imped. matr. cap. 9. s. 1. vers. Sed quid.

5. Secundo nota ad petitionem conjugis non voventis, de cuius licentia alter conjug ingressus est religionem non revocari ingressum, sed solo iur. cis officio, ut concludunt hic Butr. num. 4. & Abb. num. 2. & sic nota quod in materia peccati ubi clauditur os agentis, iudex ex officio providere potest. Ad hoc cap. *Ad nostram*, de iurjur. & c. *Novis*, de indic. Sed in hoc oppositum tenet Innoc. in cap. *Quidam* num. 3. infra eod. ubi tandem residet in hac opinione quod non solum remanens in saeculo possit perpetere conjugem ingredientem in monasterium, sed etiam ipse ingrediens possit perpetere conjugem in saeculo remanentem: & movetur dubus rationibus. Prima est, quia unus conjugum vovete non potest sine altero, ac si voveat, promissum solvere non potest, c. *Vna solus*, 33. q. 5. Secunda est, quia cum ejus ingressus non tenet, peccat ille ab uxore alienet, vel si ei causam adulterandi praebet, c. *Si tu*, 17. q. 2. c. *Veniens*, supra tit. proximo. Idque intelligit Innocent. procedere etiam si de voluntate conjugis, non tamen voventis intrasset, cum praedictae rationes & quae vigeant, cum transit ea invita, vel non vovente. Licet subdat tutius esse ut reductio ad conjugem fiat officio iudicis, quam ad petitionem conjugis. Eandem opinionem tenet Vincent. infra in c. *Significavit*, & sequuntur hic Jo. Andr. & Anchar. ambo num. 3. Similiter refert Abb. Antiqu. hic nu. 2. Petrum Magistrum suum tenuisse quod ingressus religionem de voluntate conjugis poterat exire etiam autoritate propria, nisi qui remansit in saeculo vellet se ad continentiam obligare. Nam cum hic dicitur, ut ingressus possit, & debeat de monasterio revocari, si ipse voluerit coactionem praevinire, & facere de necessitate virtutem, non videt cur non possit. Non tamen egressus poterit debitum exigere, d. cap. *Quidam*, infra eodem. Ita Abb. Antiqu. cum quo transeunt Joanni Andr. & Anchar. proxime citati.

Praedictam conclusionem quod maritus revocari possit ex monasterio, non obstantem quod professus fuerit de licentia uxoris non voventis, limitant aliqui, & praesertim Abb. hic num. 4. vers. *Ego putarem*, ut non procedat si uxor fuisset certificata, seu fuisset juris conscientia, quia tunc dando licentiam videretur tacite continentiam vovete; & sic non revocaretur ingressus mariti. Ratio est quia qui vult unum, censetur velle omnem, per quod pervenitur ad illud, cap. *Prudentiam*, de offie. deleg. 1. *Ad rem mobilem*, & l. *Ad legationem*, ff. de Procur. tacit cap. *Vidua*, supra tit. prox. Sed ingressus mariti non potest irrevocabiliter fieri, nisi uxor voveat continentiam, cap. *Cum sis*, infra eod. Ergo dando licentiam marito ingredienti, videretur tacite vovete. Ad hoc allegatur, c. *Qui uxorem*, 33. q. 7. d. cap. *Veniens*, glof. in cap. *Seriatim*, in verb. *Post mortem*, 32. dist. & glof. in cap. *Ex parte*, il primo, in ver. *Conscientiam*, & ibi Abb. num. 4. & c. *Infra eod.* Item glof. in cap. *Agarholia*, in verb. *Vel ipsa*, in fin. 27. q. 7. Rosell. in verb. *Impedimentum* 2. in prin. Tabien. in ver. *Matrimonium*, 1. quest. 3. num. 4. Sylvest. *Matrimonium*, 8. q. 12. vers. *Quantum*, Sor. in 4. dist. 27. quest. 8. art. 4. col. penult. & ex modernis Henric. in sum. lib. 1. cap. 8. s. 9. & Sanchez de matrim. lib. 7. dist. 33. num. 1. 4. & videtur haec opinio satis rationalis, sed tamen multum re-

restringit hanc literam, quae generaliter loquitur, & non fundat se in ignorantia uxoris, sed in eo quod castitatem non promittit.

Praeterea si uxor juris conscientia dando licentiam marito profitendi censeretur tacite vovete, hinc sequeretur, ut si esset juvenis, cerneretur etiam monasterium ingredi, vel ut compesceretur a vagatione secundum opinionem Innocentij, vel ut solemnem professionem emitteret, secundum opinionem Hostien. de qua sup. in prima notab. cum uxor juvenis viro ad religionem migrante non possit in saeculo remanere propter periculum fornicationis, ut in d. cap. *Cum sis*, & in cap. *Vxoratus*, infra eodem. Quod tamen esset fatidurum; & vix Doctores ad perpetuum clausuram arctant mulierem, quae expresso castitatis voto se obstrinxit. In hoc tamen videntur convenire, ut mulier in dubio praesumatur juris ignara, nisi probetur certificata. Ad quod induco litteram d. cap. *Cum sis*, infra eod. Cum sis, inquit, praedictus scientia litterarum, ignorare non debes Sanctorum Patrum constitutioni esse contrarium, ut vir uxoris sua, aut uxor viro suo non assumentem religionem habitum debeat ad religionem transire. Atque ita improbat ubi ignorantia propter scientiam litterarum, ignorare non debes Sanctorum Patrum constitutioni esse contrarium, ut vir uxoris sua, aut uxor viro suo non assumentem religionem habitum debeat ad religionem transire. Atque ita improbat ubi ignorantia propter scientiam litterarum, ignorare non debes Sanctorum Patrum constitutioni esse contrarium, ut vir uxoris sua, aut uxor viro suo non assumentem religionem habitum debeat ad religionem transire. Atque ita improbat ubi ignorantia propter scientiam litterarum, ignorare non debes Sanctorum Patrum constitutioni esse contrarium, ut vir uxoris sua, aut uxor viro suo non assumentem religionem habitum debeat ad religionem transire.

1. Tertio nota, votum professionis emissum a conjugate licentia alterius conjugis non solemniari, nisi altero religionem ingrediente, aut perpetuo castitatis votum emittente: & sic videtur non sufficere votum temporale, quoad vixerit ingressus secundum Anton. de Butr. hic n. 3.

2. Ultimo nota ibi, ignorantem Episcopos conjugatum non debere ingredi religionem, & profiteri sine licentia Diocesani, de quo tamen dic in sequenti quaestione.

Lucius populo fuerat ingredi Religionem Cappuccinorum, & uxor consentiebat, & monasterium Monialium S. Clarae intrare parata erat, & in eo quoad viveret perseverare cum simplici voto Castitatis: sed cum esset quinquagenaria solemniiter profiteri non intendebat. Quaesitum est an Episcopus possit impertiri licentiam Lucio transeundi ad Religionem, & uxori monasterium intrandi cum simplici promissione continentiae.

Hae quaestio duas habet inspectiones. Prima est, An uxor in quinquagesimo aetatis anno dicenda sit senex, & non suspecta de incontinentia, adeo ut cum voto castitatis remanere possit in saeculo, & hanc partem plenissime examino infra in d. c. *Cum sis*. Secunda inspectio est quatenus sit senex, & non suspecta, & continentiam voveat, an Episcopus praedictis conjugibus possit concedere licentiam petitam.

Et haec inspectio similiter habet duas partes. Altera est, An ad hoc ut maritus transire possit ad religionem, & uxor non suspecta in saeculo remanere cum simplici castitatis promissione, requiratur licentia Diocesani. Altera est, An Episcopus dare possit licentiam uxori monasterium ingredienti, non ut ibi sit monialis, nec Regularem vitam ducat; sed perpetuo degat in habitu saeculari voto Castitatis obstricta.

Quoad primam partem putant nonnulli ad hoc ut uxor senex, & non suspecta possit in saeculo remanere, & vir ejus ad religionem migrare, praeter votum castitatis desiderari etiam licentiam Episcopi, per text. in cap. *Si vir & uxor*, 27. q. 2. ubi disponitur, ut si vir, & uxor divertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine Episcopi conscientia fiat, & pro hac parte facit text. in d. cap. *Cum sis*, dum dicit Episcopus posse dissimulare ut si uxor sit senex, & sterilis, ea in saeculo remanente & castitatem promittente, ad religionem transeat vir ejusdem. Verba enim illa, *dissimulare poterit*, intelliguntur ibi a glof. & DD. de dissimulatione approbationis. Ad idem videtur textus hic dum ponderat professionem fuisse emissam ab altero ex conjugibus Episcopo ignorantem.

11. Quae ponderatio inepta esset si Episcopi scientia aut consensus non requireretur. Atque ita hunc textum ad hoc expendunt Butr. n. 2. & 5. & Abb. n. 3. addentes rationem, quia cum agatur de dissolutione matrimonij quoad thorum, non debet hoc fieri sine licentia Episcopi, c. 1. *De consang. & affinit.* c. *Significavit*, ibi, *vice Archiepiscopi*, & c. *Inf. eod.* Et huic opinioni videtur adherere glof. hic in ver. *Revocari*, dum ait: Si talis est uxor, quae non possit esse in saeculo sine suspitione fornicationis, non sufficit sola licentia uxoris ad hoc ut vir transire possit ad religionem, nisi & ipsa convertatur. Si vero senex est, sufficit sola licentia, interveniente Episcopi auctoritate, & ipsa voveat. Idem tenet Host. in d. c. *Cum sis*, n. 3. in ver. *Permittat*, dicens: nam sine te, qui es Episcopus, non possunt talia expediri, ut notatur in c. *Significavit*, infra eod. in c. 2. & c. *Continebatur* de despons. impub.

12. Tu distingue. Aut queritur an licentia Episcopi requiratur ad validitatem professionis, & quidquid dixerit Majorus de Irregular. lib. 1. c. 4. num. 5. tenendum est ingressum valere, licet Episcopi licentia non praecellerit: nam nec Clerici requirunt assensum Episcopi, ut necessarium, c. *Duo*, 19. q. 2. & ibi notat Vincent. & Jo. Andr. hic in prin. Et probatur efficaciter in hoc textu ubi professio facta fuit a marito de licentia uxoris ignorante Episcopo; & tamen in fine disponitur ut maritus ita demum possit, ac debeat e monasterio revocari, si uxor non promiserit castitatem. Ergo si castitatem promiserit, maritus revocari non poterit, & ingressus valebit non obstantem Episcopi ignorantia. Idem deducitur ex c. *Vxoratus*, infra eod. ubi nulla fit mentio de licentia Episcopi; imò inscriptio directa est Prioribus, & Fratribus S. Joannis. Et hanc partem post Hugonem, & Laurentium tenent in d. c. *Si vir & uxor*, 27. q. 2. glo. in ver. *Conscientia*, Archid. & Bellam. & tradunt hic Jo. Andr. n. 1. Butr. n. 5. Card. q. 2. Feder. de Sen. cons. 37. *Causa talis est*, n. 2. ubi ait, quod hic dicitur de auctoritate Episcopi, vel Vicarij non esse de substantia; nam sine ipsa valebit profectio alio remanente in saeculo, & vovente, quem refert, & sequitur hic Anchar. num. 3. vers. *Et hoc videtur tenere*; & Abb. n. 3. vers. *Sequitur etiam*. Idem notat Præpof. in c. *Seriatim*, n. 4. 32. dist. ubi etiam allegat Abbatem in c. *Vxoratus*, infra eod. Et de consuetudine non observari ut petatur ejusmodi licentia testatur Vincent. Jo. Andr. & Card. supra citati. Quod etiam innuit glof. in d. c. *Si vir & uxor*, in ver. *Conscientia*, dum ait: (Hoc generaliter obtinet, ut

semper auctoritate Ecclesie fiat separatio; si tamen sine auctoritate Episcopi illud fiat, tenet, ut generaliter interpretatur consuetudo.

13 Aut queritur an licentia Episcopi requiratur de honestate; & tenendum est requiri secundum Vincen. in d. e. *Dua sunt*. Innoc. *In primis*. Host. *in ver.* Ignorante, qui supplet verbum maxime, & sequuntur Jo. Andr. Butr. Cardin. Abb. & alij proxime citati. Ratio est, ut inquit Abb. num. 3. quia cum per ingressum religionis alterius confugis contingat matrimonij consummati quoad thorum separatio, non debet hoc fieri, cum sit Sacramentum in Ecclesia Dei, sine licentia Episcopi. Quam rationem perpendit etiam gloss. prealleg. in d. e. *Si vir, & uxor*, dum dicit, hoc generaliter obtinere ut semper auctoritate Ecclesie fiat separatio.

14 Præterea ad hoc ut valeat professio mariti, requiritur, ut uxor remaneat in seculo sit ita senex, & sterilis, ut non sit suspecta de incontinentia, juxta textum in c. *Cum sis, in fine*. Quando autem mulier ad hunc effectum dicatur senex, jura non præscripserunt. Et sterilitas quamvis ut plurimum contingat mulieribus in quinquagesimo anno. *Si maior quinquagenaria*, C. de legit. hered. l. *Si sterili*, & ibi gloss. *in ver. Quinquagesima*, ff. de acc. empti. Raphael Fulgosi, *conf. 212. Quædam mulier*, col. 3. *vers. In primo videtur*; tamen aliquando contingit etiam post quinquagesimum, ut de mulieribus Peruvianis testatur Bald. *conf. 437. Peruvianæ habebat*, *Seiam*, n. 9. lib. 5. & Angel in d. l. *Si maior*. Totâ igitur hæc materia relinquatur arbitrio Episcopi per spectâ ætate, complexionem, fecunditate ac temperantia uxoris remanentis in seculo, ut post multa conclusimus in d. e. *Cum sis, in fine*. Et consequenter priusquam Divesinus singulas circumstantias examinaverit, & arbitratus fuerit mulierem posse in seculo morari sine periculo fornicationis, licere non debet viro religionem transire; quod aperte tenet hic Butr. n. 5. dicens. [Quia agit de dissolutione matrimonij, quod spectat ad Episcopum, & examinare causam an scilicet alter remaneat in seculo dicatur transisse dies suos an non, & an possit honeste sine altero remanere in seculo sine suspitione turpitudinis; ideo requiritur præsentia Episcopi, quia arbitrari spectat ad ipsum; & ideo satis necessaria videtur mihi hæc solemnitas in conjugato, cum agatur de dissolvendo matrimonio, quod debet fieri auctoritate Episcopi, ne contingat ut oppositum declararet; & sic jam servare feci, sed ne hoc postea revocaretur in dubium, tutius foret ex officio aliquid super hoc interloqui.] Hæc Butr. Qui tamē subdit, si daretur ingressus religionis sine Episcopali licentia, & constaret notorie personam remanentem non esse suspectam, teneret ingressus, quia impossibile est ut Episcopus aliter declaret.

15 Et in hærendo supra dictæ distinctioni non obstant, quin potius favent jura in contrarium adducta: nam quod dicitur in d. cap. *Si vir, & uxor*, 27. q. 2. procedit de consilio, non autem de præcepto secundum gloss. *lib. in ver. Conscientia*, Archid. & Bellam. Præterea subdit gloss. illum textum posse intelligi eo casu, cum conjuges volunt construere monasterium, in quo se convertant: id enim fieri non debet sine auctoritate Episcopi, c. *Nemo de consec. dist. 1.* & hodie statutum est, seu potius innovatum decreto Concilij Tridentini, in

cap. 3. *sess. 25. de Regul.* cui intellectui valde consonat littera: nam post illa verba, *nullatenus sine Episcopi conscientia fiat*, immediate subnequitur, *ut ab eo singulariter provisio consueverunt loco*.

Similiter ponderatio, quæ fit in hac decretali, quod professio facta fuerit ignorante Episcopo, intelligitur de honestate, & congruentia secundum Jo. Andr. & alios præallegatos num. 12. Nam eodem contextu ponuntur verba illa, *presensibus Sacerdotibus, & Monachis, & Episcopo ignorante*; & sic potius ibi narratur factum, ut advertit Abb. *num. 2.* & hæc solemnitates, vel exhibitæ, vel omisissæ modicum faciunt, ex quo constat de professione secundum Innocentium in *primis*, cujus dictum sequuntur Jo. Andr. Card. & alij. De honestate itidem habet locum approbatio Episcopi, quæ elicitur ex d. cap. *Forasus*, *infr. eod. ibi*, *Dissimulare poteris*.

16 Accedit quod etiam canones expressè prohibent transitum conjugis ad religionem sine auctoritate Episcopi, tamen cum non procedat ulterius irritando professionem, & ex alio canone professio facta etiam Episcopo ignorante declaratur valida, ut hic deciditur in fine, sequitur ut actus factus contra legis prohibitionem non sit nullus. Hæc est theoria Jo. Andr. in cap. *Ad Apostolicam*, num. 3. *supra tit. prox.* quam ibi approbat Butr. num. 8. Cardin. *in ten. num. 8. in 7. opposit.* Henric. Boich. *circum 4.* & alij communiter, habet enim locum eo casu regula illius textus: Multa fieri prohibentur, quæ tamen si fiant, obtinent roboris firmitatem.

17 Quoad secundam partem dicendum est Episcopum nullatenus posse impertiri licentiam uxori monasterium Monialium ingrediendi, atque ibi perpetuò degendi absque solemnij professione; quia Sacri Canones improbant hujusmodi commixtionem non professionum cum professis, cap. *Pervenit*, in *secundo*, 18. q. 2. cap. *V. Clerici*, & cap. *Vidua*, *supra*, *tit. prox.* cap. 16. *vers. Finito*, *sess. 25. de Regul.* Concilij Tridentini. & notat Host. *hic num. 5.* & Anchar. num. 3. & in c. *Significavit*, *infr. eod. ibi*. Jo. Andr. num. 4. & Butr. *eod. num. 8.* Cardin. *num. 2.* Item decreto cap. 5. *in istem sessionis* statutum est, ut ingredi intra septa monasterij nemini liceat cujuscumque conditionis, sexus, vel ætatis fuerit sub excommunicationis poenâ ipso facto incurrenda.

18 Et quamvis in Constitutione Bonifacij VIII, quæ incipit, *Periculo so*, de *stat. Regul. lib. 6.* permittatur secularibus, ut ingredi possint clausuram monasteriorum Monialium de illius, ad quem pertinuerit, specialij licentia, idemque permittatur in d. cap. 5. *sess. 25. de Regul. ibi*. Sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta; tamen in d. cap. *Periculo so*, adjicitur conditio sitationabilis, & manifesta causa existat. Et in d. cap. 5. immediate jungitur; *Dare autem tantum Episcopus*, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis. Hæc autem necessitas ex sententia Sacræ Congregationis Concilij debet respectu monasterij ipsius, non personam ingredientis. Neque enim Sanctimonialium monasteria instituta sunt ut secularium commoditatis, seu indigentij subservant, d. cap. *Pervenit*, in *secundo*, 18. *quest. 2.*

19 Ac propterea cum in diceffi Salamantina convocasset Episcopi concedere licentiam mulieribus

bus ingrediendi monasteria, in eisque commorandi tum gratia comoditatis, tum ob causas urgentes, ut puta litium matrimonialium, adulteriorum ac dissensionum inter viros, & uxores, ac his similibus cum alia loca non extarent, in quibus majori cum securitate morari possent, & quævisset Episcopus an ejusmodi licentias sibi concedere liceret. Die 19. Febr. 1604. S. Cong. respondit non licere illo modo Episcopis vel permittere, vel licentiam concedere mulieribus, ut ex causis supranarratis Monialium monasteria ingrediantur; imò ingredientes incidere in excommunicationem decreto Concilij, atque Summorum Pontificum Constitutionibus impostam; quod si aliquis casus acciderit, propter quem expedire videatur concedere talem licentiam, eam obtinendam esse à Sede Apostolica.

20 Potrò pro monasterijs Italicis, & Insularum adjacentium, ejusmodi licentiæ conceduntur à Sac. Congregatione Regularium; ultra montes verò per litteras Sanctissimi in formo Brevis, sed non nisi raro, & ex gravi causa, & constituit Ordinario loci, ut si videbitur, ponat mulierem in aliquo monasterio, cujus tamen Constitutiones expressè non repugnent, de consensu Abbatis, & Monialium, & Ministrorum Provincialium, aut alterius Superioris earum. Sola autem ingrediatur sine ulla prolus ancillis, & non exeat nisi cum videbitur; Vitam, & clausuram observet eo modo, quo Moniales ipsæ, & tandem ibi maneat, quamdiu Ordinarium causam allegatam durare cognoverit.

DE CONVERSIONE Conjugatorum.

Cap. Verum.

S V M M A R I V M.

- 1 Coniux ante matrimonium consummatum potest altero invito Religionem ingredi; sed remans in seculo potest ad secunda vota transire.
- 2 Matrimonium ratum non consummatum dirimitur per solemnem professionem alterius conjugum.
- 3 Non autem per susceptionem Sacri Ordinis.
- 4 Matrimonium ex carnali copula confirmatur.
- 5 Copula carnalis quantum nihil addat substantie matrimonij, tamen addit quoad multa, ut hic.
- 6 Dispositio an sit concedenda, ut matrimonium ratum dissolvatur per vota simplicia à viro emittenda in religione Societatis Iesu, & num. seqq. usq. in fin.
- 7 Matrimonium ratum non dissolvitur per vota simplicia.
- 8 Papa dispensat in matrimonio rato non consummato ex gravi causa.
- 9 Et an ingressus in religionem Societatis Iesu sit causa sufficiens, & num. seq.
- 10 Et quid de promotione ad Episcopatum, & n. 12.
- 11 Coniux religionem ingressurus cautionem prestare debet, quod vel religionem proficere, vel ad coniugium redire debeat infra duos menses, & num. seqq.
- 12 Et quid post Concilium Tridentinum.
- 13 Frigiditas impediens perpetuum dirimit matrimonium.

14 *Et si superveniat post matrimonium ratum, an sit iusta causa dispensandi super eo.*

**V**ERUM. Ante matrimonium consummatum potest alter conjugum, etiam altero invito religionem ingredi; sed remans in seculo non potest ad secunda vota transire. Hoc dicit Jo. Andr. Butr. Card. Anchar. Abb. & Jo. de Anan. Primò ponit dictum. Secundo ipsius rationem ibi, *Quia*.

2 Nota primò ex textu casum notabilem, in quo dissolvitur vinculum matrimonij contracti per verba de presenti, scilicet per ingressum religionis, & solemnem professionem in ea emissam, dummodo carnali copula non sit consummatum, quia cum non fuerit una caro simul effecta, satis potest unus ad Deum transire, & alter in seculo remanere, ut in littera concordat cap. *Dispensatum*, 27. q. 2. cap. *Ex publico*, & cap. *Ex parte*, in *secundo*, *intra eod.* & in *auth. de Sanctiss. Episcop. 8. Sponsalibus quoque*, ibi, *Si verò constanter adhuc matrimonio, aut vir solus, aut uxor sola intraverit monasterium, solvatur matrimonium*, collat. 9. & hic notat gloss. *ultr. Innocent. in ver. Satis potest*, ibi: Et credimus primi matrimonij vinculum penitus frangi, & Abb. num. 8. dicens hanc opinionem à Doctoribus communiter teneri: licet antiqui super hoc variaverint, ut plene notatur, ut in d. cap. *Dispensatum*, in gloss. *intra 27. q. 2.* Hodie hoc est de fide, ut in Concilio Tridentino *sess. 24. de reformation. matrim. canon. 6.* Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.

3 An autem idem juris sit si vir ad factos Ordines promoveatur, olim erat controversum, ut differt gloss. in c. *unicus*, in *verb. Sacri Ordinis*, de *vot. lib. 6.* Sed hodie hoc est expeditum in Extravag. Joann. XXII. *Altercationis antiqua*, *eod. tit.* quæ declarat speciale esse in religionis ingressu, ut matrimonium ratum dissolvatur; sequi verò in susceptione sacri Ordinis, quia hoc non reperitur jure cautum, nec per aliquem Sanctorum fuit unquam attentatum; unde si vir de facto ordinaretur, characterem quidem reciperet, sed tamen compelleretur instante conjugè matrimonium consummare, ut ibi dicitur, & firmat gloss. in d. cap. *unicus*, & Abb. *hic num. 2.* de quo scripsi plenius in cap. *Conjugatus*, *infr. eod.*

4 Secundo nota ibi, dummodo carnali commixtio non intervenerit inter eos. Ex carnali copula matrimonium constituitur, secundum Abb. *hic num. 3.* Quamvis enim quoad substantiam matrimonij coitus nihil addat, cap. *Sufficit*, 27. *quest. 2. l. Nuptias*, ff. de *reg. jur.* addit tamen quoad quædam, primò scilicet quoad bigamiam, cap. *Debitum*, *supra de bigam.* Secundo, quoad significatum, de quo ibi habetur. Tertio, quoad impediendum religionis ingressum, ut hic secundum Goffred. Quarto, quoad bonum prolis, l. *Liberorum*, ff. de *verb. significat.* Quintò, quia multis modis per ipsum firmatur matrimonium, ut cap. *Tua*, *intra de sponsalib.* secundum Host. *hic n. 2. in fine*, & Joann. Andr. num. 3. Adde septimò, quia super matrimonio consummato non dispensat Ecclesia: nam quos Deus coniunxit, homo non separat, *Matth. 19. cap. Quos Deus*, & cap. *An quod*, 33. *qu. 2. cap. Ad limina*, 30. *qu. 1. cap. Quando*, *supra de translat. Episcop.*

336 Sop. Sed bene dispensat super matrimonio rato non consummato, ut notatur in cap. Ex publico, infra eodem, & dicam infra num. 8.

Ex facto quæsitum est, an concedenda sit dispensatio, ut matrimonium ratum non consummatum dissolvatur per vota simplicia à viro emittenda in Religione Societatis Jesu.

Carolus Anton. Bononiensis die 13. Octob. anni 1621. contraxit matrimonium per verba de præfenti cum Ursula, & infra bimestre ante consummatum matrimonium recipit se in religionem Societatis Jesu, in qua animo suscipiendi habitum regularem in habitu seculari permansit de licentia Sanctissimi D. N. tunc Archiepiscopi Bononiensis, qui semel atque iterum bimestre tempus ad ingrediendum religionem, de quo in cap. Ex publico, infra eod. ad totum hunc mensem Aprilis prorogavit, cum tempus hujusmodi sit arbitrarium judici, secundum gloss. ibi in verb. infra duorum. Sed quia ex Constitutione Gregorij XIII. Ascendente Domino; tria vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientia, quæ post biennium in prædicta religione emittuntur, licet substantialia sint, non tamen sunt solemnia, sed simplicia, per quæ non dirimitur matrimonium ratum, sicut dirimitur per solemnem professionem, ut hic, & in concordantibus supracitatis in primo not. ab. & in puncto tenent quatuor auctores ex ipsa Societate, videlicet Valquez in 1. 2. q. 96. art. 4. dispur. 165. cap. 10. Henricus in Summis lib. 11. cap. 8. num. 7. Sanchez de matrim. lib. 2. dispur. 8. num. 6. & super Decalog. tom. 2. lib. 5. cap. 1. num. 29. & Ribaleira in lib. de Societate, titulus. cap. 19. §. Et primus est. Propterea Orator supplicat, ut Sanctitas Sua ex gratia dignetur ejusmodi matrimonium dirimere, postquam expletis annis probationis, in dicta religione vota simplicia emisit; præsertim quia oblietrix deputata à Sanctissimo, facta inspectione coram matrona reculit, Ursulam esse nimis arctam, & virum de propria impotentia plurimum habitare.

8 Et dubitandum non sit quominus Summus Pontifex dispensare possit super matrimonio rato non consummato, juxta communem Canonistarum sententiam in cap. Ex publico, infra eod. & re ipsa Pontifices sæpe dispensaverint, ut referunt Navar. in Manual. cap. 22. n. 21. & Cajetan. in opusculo. tom. 1. tract. 28. de matrim. quest. unic. & aliquando etiam ex sententia sacre Congregationis Concilij; tamen illud etiam absolutum est, hujusmodi dispensationem absque justa, & gravi causa non esse concedendam; unde, ut refert Petr. de Sampson in d. c. Ex publico, cum quidam Princeps petisset ab Innocentio III. ut dissolveret matrimonium non consummatum, & Pontifex respondisset, se non posse; postea Principe allegante auctoritatem glossæ Vincentij in d. c. Ex publico, Innocentius respondit; Male dictus qui te docuit; & quamvis Petrus non explicet cur maledixerit docenti; tamen Abb. ibidem sub num. 2. 4. asserit id fortè factum fuisse, quia sine maxima causa non debet Papa hoc facere, & in cap. Ex parte, si secundo, infra eodem, idem Abb. num. 5. ait Papam non posse matrimonium ratum dissolvere, nisi ex causa in jure expressa, vel omnino simili. Cæterum causa ingressus in religionem Societatis Jesu est voluntaria, nec gravis, seu maxima appellari potest. Item non est expressa in jure, nec omnino

similis, cum longè aliud sit voto simplicia emittens, ut notatur in cap. unico, de voto, lib. 6. & Orator potest aliam eligere ex religionibus approbatis, Præsertim verò quia jura à religionem ingredi volente jubent recipi sufficientem cautionem, quod vel religionem profiteri, vel ad conjugium recurre debeat infra spatium duorum mensium, juxta practicam d. c. Ex publico, ut præcedent hoc casu fuit observatum. Hoc autem duorum mensium spatium, quod hodie extenditur ad annum propter decretum Tridentini Concilij cap. 15. sess. 25. de Regul. præfixum est à sacris Canonibus, ne fiat injuria remanenti in seculo, ne tandiu necesse habeat expectare, & à copula abstinere, ut ait Jo. de Anan. in eodem cap. Ex publico, num. 6. Quod cum ita sit, justum non videtur ut concedatur dispensatio oratori ad ingrediendam religionem Societatis Jesu, in qua vota simplicia non nisi post biennium emitti solent; neque enim justum est, vel tutum uxorem tandiu invitam continere, & in periculum incontinentiæ adduci. Propterea enim de jure communi Episcopus non debet ingrediendi religionem dare tempus probationis, nisi maritus consentiret, ut notat ibi gloss. in verb. infra duorum, Innoc. prope fin. & Jo. Andr. in gloss. Nunquid, vel. 1. ubi ait Principem tempus probationis restringere ex causa, quia carnis stimulis non potest conjux resistere.

12 Ad hæc Thomas Sanchez de Societate Jesu de matrimonio dispur. 16. lib. 2. num. 8. censet non esse justam causam dispensandi super matrimonio rato non consummato, ut vir transeat ad Episcopatum, nisi valde necessarium esset ad bonum commune illum in Episcopatu promovere; & tamen votum solemnizatur per sacri Ordinis susceptionem, sicut per professionem regularem, d. c. unico, de voto, lib. 6. ergo longè minus licet dispensare, ut matrimonium dissolvatur per transitum ad religionem, in qua finito probationis biennio vota non solemnizantur.

13 Porro si mulier, aut vir habuissent impedimentum perpetuum frigiditatis, matrimonium ab initio fuisse nullum, cap. Eternitatis, de figid. & malefic. Sed si tale impedimentum post matrimonium, & ante copulam supervenisset; forte justa esset causa concedendi dispensationem super matrimonio rato, secundum Aleiat. resp. 21. num. 7. & 8. quem refert & sequitur Menoch. de presumpt. lib. 2. presump. 10. num. 44. Sed sterilitas, seu impotentia, cujus meminit Orator in supplici libello, esset prius concludenter probanda à sacrorum Canonum præscriptum.

DE CONVERSIONE Conjugatorum.

Cap. Cum sis.

S V M M A R I V M.

1 **M**aritus ad Religionem transire non potest nisi & uxor transeat, vel non suspecta castitate promittat.  
2 Ignorantia viri non est probabili in intru-perito.  
3 Professio unius coniugii non valet nisi uterque proficiatur, aut remanens in seculo castitatem voveat, & careat periculo incontinentiæ.

Coniux

- 4 Coniux non adulter potest religionem profiteri, licet remanens in seculo sit juvenis, & castitatem non promittat.
- 5 Matrimonium consummatum per adulterium, vel professionem alterius coniugii non solvitur quoad vinculum.
- 6 Mors civilis an, & quando equiparetur naturali.
- 7 Vxor in qua etate dicatur senex ad hoc ut cum simplici castitate voto possit in seculo remanere, & maritus ad religionem transire, usque in fin.
- 8 Vxor ut possit in seculo remanere viro ad religionem migrante debet esse ita senex ut non sit suspecta de incontinentia.
- 9 Libidinis labe que in juventute contrahitur in senectute frequenter expiatur, sed non semper.
- 10 Incontinentia periculum oritur ex hoc solo quod coniux sit juvenis.
- 11 Senectus quid sit.
- 12 Senectus mirum aliter constituendum est quoad universam hominum speciem, & aucter quoad singulos homines, de quorum senectute agitur.
- 13 Senectus in universum quando incipiat, varia referuntur sententia.
- 14 Aetates hominum quot sint, & qualiter distinguantur.
- 15 Aetas virilitatis, & senectus non determinatur à iure generaliter quoad omnes, atas augmenti seculi, & cur.
- 16 Senilis etas pro materia diversitate vario modo à iure præscribitur.
- 17 Senectus quo sit singulares homines an, & quomodo probetur ex aspectu corporis.
- 18 Canities quale indicium sit senectutis.
- 19 Puer septem annorum capite admodum cano apud Catholicam Palæotum.
- 20 Senis centum annorum mirabile exemplum à Hieronymo recensetur.
- 21 Senes qui dicuntur, arbitrio iudicis relinquuntur in castibus, in quibus nulla etas præsumitur.
- 22 Arbitrium in senectute dydicanda qualiter sit regulandum.
- 23 Senex ante quinquagesimum annum ut quis dicatur non reperitur iure cautum.
- 24 Septuagenarij indistinctè dicuntur senes, nec quoad eos est locus arbitrio iudicis.
- 25 Senes octuagenarij non excusantur à personaliter comparando si sint robusti.
- 26 Aetates hominum secundum subiectam materiam diversimodè limitantur, & terminantur.
- 27 Vxor in qua etate indicanda sit senex, ut possit in seculo remanere cum voto simplici castitatis, iura non præscripserunt.
- 28 Dicitur senex, & non suspecta si sit sexagenaria iuxta opinionem Soti.
- 29 Juvenis dicitur quis ante sexagesimum annum quoad hoc ut possit cum eo super incestu dispensari, & n. 73. vers. Et ex his patet.
- 30 Albatissa in qua etat. sit eligenda, & num. 74.
- 31 Vidua an possit eligi in Abbatisam, & num. 76.
- 32 Senes sexagenarij an excusentur à ieiunio, & num. 78. & seq.
- 33 Senilis corporis status ex levi momento in morbum deciluit.
- 34 Senes sexagenarij non includuntur in exceptione Bullæ Cruciatæ ab indulto vescentis lacticijs, & n. 95.

- 35 Vita in calore sita est.
- 36 Mulieres sunt viri frigidiores.
- 37 Vxor quinquagenaria potest in seculo remanere cum voto simplici castitatis secundum opinionem Sanchez.
- 38 Lex Julia Poppæa prohibens virum post sexagesimum annum, & mulieribus post quinquagesimum nuptias contrahere à quibus, & cur fuerit abrogata, & n. 65. vers. Et hæc fuit ratio.
- 39 Matrimonium post pubertatem in quacunque etate contrahi potest.
- 40 Potenti generandi in masculis, & feminis in quam usque etatem protrahatur, & num. 65.
- 41 Mulier non dicitur studere procreationi liberorum à quinquaginta annis supra.
- 42 Liberta quinquagenaria non tenetur ad operas.
- 43 Testes an dicantur senes in quinquagesimo anno quoad hoc ut ex animari possint ad æternam rei memoriam, & num. 88.
- 44 Mulieres quinquagenaria etiam robuste non tenentur ad ieiunia ecclesie.
- 45 Senectus, & sterilitas copulative requiruntur ad hoc ne uxor possit remanere in seculo cum voto simplici castitatis.
- 46 Sterilitas ratione nature non asfert incontinentia suspicionem, & num. seqq.
- 47 Mulieres natura steriles sunt præ cæteris libidinose.
- 48 Mulieres natura productæ ad generandum, & infixit eis concupiscentiam, & desiderium matrimonij.
- 49 Pudor est mulieribus nuptiarum premia non habere.
- 50 Mulieres in qua etate incipiunt esse steriles.
- 51 Cornelia à Scipionum familia post sexagesimum secundum annum Voluolum Saturnum peperit.
- 52 Mulierum exempla, quæ post quinquagesimum annum conceperunt, & num. seqq.
- 53 Partus quinquagenaria mirabilis est quis rarus, sed non miraculosus, num. seq. & num. 63. & 64.
- 54 Federici Imperatoris mater quinquagenaria publice voluit parere, & cur.
- 55 Sterilis à natura, & maior quinquagenaria equiparantur.
- 56 Iura constituuntur ex ijs que frequentius accidunt.
- 57 Argumentum à communiter accidentibus valet.
- 58 Lex de miraculosis non fertur.
- 59 Vivere præsumitur qui non probatur mortuus, nisi post annum centesimum.
- 60 Intellectus l. Jura, cum tribus seqq. ff. de legibus, & num. seqq.
- 61 Legislatores non contemnunt ea, que præter naturam contingunt, licet raro.
- 62 Filius natus octavo mense an succedat, & hereditatem transmittat.
- 63 Leges non aptantur ad ea que semel tantum, aut bis possunt contingere, vers. Respondet secundo.
- 64 Miraculum propriè quid sit & qua requirantur de ratione miraculi.
- 65 Viri iuris præsumptione usque ad sexagesimum annum possunt progenerare, ideoque ante eam ætatem non

causæ